

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Qui succederent in bonis eorum qui aut martyres aut confeßores fuerant,  
aut alio migrare coacti. Cap. XXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

*Qui succederent in bonis eorum qui aut martyres aut confessores fuerant, aut alio migrare coacti.*

CAP. XXXV.

**P**orrò illud nobis videndum est, ut facultates, quibus singuli variis de criminibus falso illis obiectis orbati fuerint, restituantur, nempe si qui splendidissimum diuinissimumque martyrii certamen invicto & cōstanti animo sustinuerint, & propterea rerum suarum amissione tolerarint, & confessores constituti, spem perpetuam in Cælo sibi compararint: qui item nō modo solum vertere coacti, sed fortunis etiam priuati fuerint, quod neutiquam fidem prodendo persecutoribus cesserunt, istorum quotquot vita defuncti sunt, hæreditates cognatis impertiri mandamus: omnino autem quibus hæritates illæ debeantur, est cognitu per facile, cum leges eos, qui genere proprius accedunt, præcipiant hæredes fore: & quod ratione etiam oportet eos succedere, qui sint domestica consuetudine coniunctiores, cōstat: præsertim cum illi ipsi martyres, non criminis ullius conuicti, sed sua inducti voluntate mortem appetuerint.

*Quibus de sanguine nemo superfuerat, iis ecclesia instituta est hæres: Si quid tamen hui viui cuiquam dedissent ratum id firmumq; permaneret.*

CAP. XXXVI.

**Q**uod si nemo de cognatis supersit, qui ulli vel martyrum, vel confessorum, vel exulum, quos diximus (qui eiusmodi de causa solum verterint) hæres ratione succedat, ut ecclesia semper cuiusque loci hæreditatem adeat ratum esto. Neque erit omnino molestum his, qui excedunt è vita, ut eam cuius gratia omnes suos labores suscepérint, hæredem fælices assequantur. Præterea hoc necessariò proponi debet, quod si qui eorum, quos supra memorauimus, aliquid de fortunis suis, quibus visum fuit, donauerint, his possessio iure stabilis & firma permanere debeat.

*Qui ho-*